

CARMEN GRATVLATORIVM, IN
HONOREM, VIRTUTE ET ERVDITONE PRÆSTANTIS IUVENIS
ANDRÆ LEVTERER Strubingensis, cum suprema in inçlyta In-
golstadiensi Academia Philosophiæ laurea publicè coronaretur.

155

Scriptum per M. Michaëlem Hiltprandum Grotgauensem Silesium.



Oluit supremos motus Titania proles
Nunc iterum, longosq; dies metitur ab axe:
Proiicit in sese rursum siliencia contra
Lumina, nec radios uelut ante expandit eundo:
Maturare docet segetes, maturat aristas,
Et multum turgere noua facit horrea messe.
Optata agricolis donant hæc tempora fructus
Immensos, redeunt corruptaq; semina tandem,
Semina multijugos possunt quæ gignere partus.
Conueniens cunctis maturaq; contigit ætas
Frugibus, & fragili sua iam perfectio culmo.
Vere nouo nam quæ calidè spirantibus Austris
Grana recommittit terræ miscendo colonus
Impiger, exurgit cum dulcia strata relinquens
Et ualidos curuo tauros adiungit aratro,
Inuertitq; nigram ferrato uomere terram,
Interea lucco cantu resonante uolucrum,
Garrituq; uagæ merulæ, dulcisq; Palare:
Et quas emundat segetes, sua gaudia, amantem
Dum repetit suauis cantu formosa puella
Euellens herbas nequicquam stare uolentes,
Cernimus in flauas hæc nunc prorumpere spicas,
A populo & late, nudoq; sub ætheris axe,
Commistim iam iam dentata falce secari,
Non nec ab agricolis sub rustica tecta recondi,
Hinc cuncti lætas uoces & iubila promunt,
Et cupit exercere choros emissa iuuentus
Immemor exhausti duriq; per arua laboris,
Dum uersat stratos in mente per horrea fructus.
Scilicet haud aliter tempus tibi congruit istud
ANDRÆ, faustū et fœlix, perchare sodalis.
Nam poteras diros quos tu ridere labores,
Sudoresq; graues per tempora longa subire,
Herculeo conabarīs cum uincere more
Assistunt ad Parnassi quæ limina monstra,
Pauperiem toruam, atq; hirsuto pectore curam,
Hincq; famem rabidam, siccitam corpore uili,
Ardentemq; sitim, studij somnumq; rapacem:
Ense famem nitido iugulans dum primo necares
Dira sitis iugulo te tunc prensando tenebat:
Effugis & ualidis armis feris omnia circum
Protinus ægra sitis telo percussa iacere
Acta, uidens humeris, toto nec corpore, trunca:
Profilit hinc somnus quoq; te prosternere tentans,
Non mora & ipsius caput atro sanguine tingis:
Pauperiem quoq; fatalem dare tergora cogis,
Et gressus uolucres edocta est sumere cura.
Nunc mala quod poteras hæc contra audentior ire,
Et pulsus seuis à primo limine monstris
Parnassi sacri dulces inuisere fontes,
Insuetis gradibusq; ascendere ad ardua collis:
Quam fert, en serpit circum tua tempora laurus,
Aonidum custos in summo uertice montis,
Accipis hanc dignus, merito hæc te cingit honore,

Et uetat actorum rursus meminisse laborum.
Solue metus iubeo, pertentent gaudia mentem:
Fœlices soles, fœlicia sydera dicas,
Quæ suaves messes referunt sudoris amari.
Lætetur tecum, magnos gratetur honores,
Vir pietate grauis, grauis atq; ætate MICHAEL
Qui VOLCKHAMERI nomen de stemmate
Lætetur merito columen fulcrūq; Mineruæ, (ducit:
Quæ tibi non unquam morituræ suggerit artes:
Gaudia mille precor sumat uir nomine clarus,
Virtutum cuius latum dispersit in orbem
Semina, Fama uolansq; cito uagitantq; per urbes:
Qui quoq; Pegasidum quondam uirtute fugabat
A porta, subito semper redeuntia monstra,
Inde ferens uictor frondentem tempora laurum:
Post quoq; qui docto digito sua pignora proles
FUCERI insignis, terrarum ubi clauditur orbis,
Per callem monstrat sacras ad Palladis arces.
Euehitur, magniq; Ducis, pietateq; uera
Præstantis, Boiæ laxas qui flectit habenas
Informat sobolem, non artes spernere doctas,
Sed uirtute bona quondam sua regna fouere.
Interea summo studio uoluitq; reuoluit
Multifidum, sanctum iusti iniustiq; uolumen,
Et fert quam tribuit magni prudentia Iuris
Supremam bijugis, summa cum laude coronam,
Cernis ab arcanis Bauari quem Principis esse
Iam, multos superare uiros & origine claros,
Cuius & ad nutum mox urbes ruraq; parent:
Qui domat immites, potis est qui munera dignis
Deferre, ac miseris ultro succurrere lapsis:
Qui quoq; humi sanctas cupidè terraq; iacentes
Non tardus curat sublimè attollere Musas.
Erigat ipse animos qui ponere iura Senatus
Ac leges didicit, quæ s ciuica turba domatur,
Turba ferox nimium quam clara Strubinga subegit,
In te quod uideat crescentes surgere honores:
Antè tamen studijs præstans GABMAYRIUS
Qui sæpe optauit queat ut tua Clio foueri. (oës,
In primis uerò uanas quoq; soluite curas
A puero quos non piguit nutrire parentes,
ANDRÆM sobolem, docuit quæ tristia quon-
Tempora, iam nouit pia gaudia reddere uobis. (dam
Grator & ipse tibi merita quod præmia palmæ
Nunc gestes, lauri sertum, uiridemq; coronam.
Expectata dies uenit, noua fama uagatur,
Et tandem laudum crescentia semina mittit.
Mittantur pingui precor isthæc semina terræ,
Et nec agant minimo laudis cum fœnore fœtus,
Fœtus ut ille semel laudis, se Solis ab ortu
Extendat, possitq; obitum spectare profundum.

Excudebant Alexander & Samuel Vuciffenhornij
Ingolstadij. Anno M.D.LXVII. Mense Iul.

